



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 109. Quid ergo dicendum sit de voto vitandi omnia etiam venialia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

quæ adhibitâ speciali attentione vitari possent, nam etiam illa materia est moraliter possibilis observatu, ita *Sanch. c. 5. n. 10. 3.* melius distinguit, nam si habuerit expressam voluntatem non obligandi se ad fugam mortalium, nisi simul obligaretur ad fugam omnium venialium, Votum est irritum, uti patet, quia vovit rem moraliter impossibilem; si autem voluerit se divisibiliter obligare, & quantum obligari potest, tenebitur ad fugam mortalium, hæc enim est materia possibilis, ita *Castrop. num. 8.*

Q. 109. *Quid ergo dicendum sit de voto vitandi* 403  
*omnia etiam venialia. R. Suar. supra docet* velut probabile, quod Votum hoc obliget ad vitanda, non tantum venialia deliberata, sed etiam absolute ad vitandam partem illam quorumcunque venialium, quam vovens sibi secundum prudens arbitrium determinaverit, sicut qui vovit jejunare per integrum mensem, & non potest nisi per medium, tenetur sibi secundum prudens arbitrium determinare priorem vel posteriorem partem, aut eligere dies interpolatos: è contra *Sanch. Busenb. & alii* absolute id negant ob rationem antè datam; si tamen voverit vitare omnia venialia, quantum in se erit, putat *Sanch. n. 13. & Lesf. de Just. L. 2. c. 40. n. 31.* vi voti teneri ad cavenda omnia, saltem adhibendo specialem curam majorem, nam propositum de his omnibus vitandis & de diligentia tali adhibenda est validum, ergo etiam votum: sed *Castrop. n. 9. & 12.* utrumque negat, quia omnia vitari non possunt, ergo omnia ex vi voti non comprehenduntur, ergo votum ad omnia & singula nunquam potest esse determinatum, ergo etiam ex vi voti non potest exigi, ut hæc præ illis mihi determinem vitare, & sic solvi-

solvitur argumentum *Suar*: nam disparitas est  
quòd votum jejunii ex vi sua comprehendit  
& determinatum fit ad omnes & singulos dies  
illius mensis, & consequenter vi illius exigitur  
ut hos mihi determinem observandos præ illis  
si observare non possim omnes. Ad rationem  
*Sanch.* disparitas est, quòd votum, & non propo-  
situm, inducat obligationem, quæ semper debet  
de re humano modo cognoscibili, hoc autem  
votum esset de re humano modo incognoscibili  
quia nemo unquam poterit scire, an debitam dili-  
gentiam adhibuerit, præsertim in peccatis, quæ  
minùs advertenter fiunt. *Si dicas*, Præceptum natu-  
rale obligat ad omnia venialia etiam indeliberata  
vitanda, ergo etiam potest obligare votum  
*R. N. conseq*: ad obligationem Præcepti naturalis  
sufficit Potentia physica implendi, habet autem  
homo potentiam physicam cavendi omnia venialia  
lia, è contrà obligatio voti, cum sit libera  
à vovente ipso, respicit potentiam ejus moralem  
non enim voluit se obligare ad aliquid morale  
impossibile; homo autem non habet potentiam  
moralem ad cavenda collectivè omnia venialia  
Vide dicta Lib. I. à num. 780.

404 Q. II. *Ad quid teneatur, qui vovit confiteri  
omnia venialia.* R. Tenetur confiteri ea, quæ fecerit  
& memoriæ occurrant: quòd si aliqua præter  
post Confessionem occurrant, expectare potest  
sequentem Confessionem, licet communicare  
velit, nam votum debet censei factum de illis  
quæ ante Confessionem memoriæ occurrerent  
ita *Sanch. c. 5. n. 20.*

405 Q. III. *Quid præterea notandum sit circa materiam  
voto aptam vel meliorem.* R. Seqq. §.  
An materia fit voto apta vel inepta, judicandum est